
In nomine domini amen. Hoc est exemplum cuiusdam capituli statutorum civitatis Assisii compilationis sub rubrica quod nulla mulier dotata possit nec debeat recurrere ad bona paterna vel materna vel testamentum facere, et cuius tenor talis est.

Item statuimus et ordinamus quod nulla mulier dotata possit nec debeat recurrere ad bona paterna vel materna salvis pactis et conventionibus et specialiter testamentis factis post matrimonium contractum inter virum et uxorem. Aliis vero testamentis retrofactis non. Et quod nulla mulier civitatis Assisii et comitatus eiusdem possit nec debeat testamentum codicillum donare seu qualibet alia ultima voluntate facere cuiuscumque generis existat, si virum habet sine presentia viri sui, et si virum non haberet et habet filium sine presentia duorum suorum filiorum. Et si caret viro vel filio sine presentia fratris carnalis vel nepotis. Et quod non possit venditionem permutationem donationem cessionem transactionem vel aliquam aliam alienationem seu obligationem cuiuscumque generis existat, si virum habet sine presentia viri sui et si virum non habet et habet filium sine presentia filii sui. Et si virum vel filium non haberet sine presentia fratris carnalis vel nepotis. Et si aliter fieret testamentum codicillus donatio venditio alienatio permutatio cessio transactio et obligatio alia quelibet sint cassa et irrita et nullius valoris. Et in predictis et quolibet predictorum sufficiat presentia unius dictorum vel alterius eorum ut supra declaratum est. Et hoc locum habeat in civitate Assisii et eius districtu in futuro, quod tolli non possit consilio vel arengo facere.



Ego Jordanus Benvenuti imperiali auctoritate notarius ut vidi et inveni in dicto originali ita hic fideliter transcripsi et in publicam formam redegi.

[illegible]

Copia cuiusdam bulle Antiq. quomodo
Mulier potest ex licentia [illegible]
[illegible] ad Conventum